



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Facies, Guttur, Fauces.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

466 *Pars secunda de elevatione*
latus fuit, ut ossa paterent. *Quoniam tacui* (ita
David anno integro impœnitens ratione adul-
terii & homicidii) *inveteraverunt ossa mea, dum*
clamarem totâ die. Pl. 31. Quasi vetustate emar-
cuerunt, exaruerunt ob continuum plandum
& inquietudinem conscientia. Nam *spiritus*
tristis exsiccat ossa. Prov. 17. sicut conscientia
bona, *fama bona impinguat ossa.* Pröv. 16.
Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?
Pl. 34. *Exultabunt ossa humiliata.* Pl. 50. Sive
vires præ timore iræ tuæ, & dolore pœnitentiæ
vehementer afflicta. *Os non comminuetis ex eo.*
Joan. 19. Christo, in Ecclesia Christi *membra*
sumus corporis ejus, & de carnibus ejus, & de ossi-
buz ejus. Sacramentum hoc magnum est, ego au-
tem dico in Christo, & in Ecclesia. Ephes. 5. Sci-
licet ut de cõsta Adami formata est Eva, ita ex
latere vel costa Christi aperta prodivit Ecclesia,
Ossa arida audite verbum Domini. Ecce ego in-
tromittam in vos Spiritum, & vivetis, & dabo
super vos nervos, & succrescere faciam super vos
carnes, & superextendam in vobis cutem. Ezech.
37. Id omnibus tuis, & aliorum hominum ossi-
bus eveniet in die resurrectionis. De hoc sæ-
pè cogita, sicut & dum carnem tuam conside-
ras, cogita, quàm horribile eâ demptâ sit mon-
strum Scheleton sive Knochenhans.

Facies, Guttur, Fauces.

Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domi-
ne requiram. Pl. 26. *Imple facies eorum*
igno.

ignominia, & quarent nomen tuum Domine. Pl. 82. Humiliatio tibi sæpè expedit. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Pl. 83. Mitto Angelum meum ante faciem tuam. Luc. 7. Expuerunt in faciem ejus, palmas in faciem ejus dederunt. Matth. 26. Non dedi ad peccandum guttur meum. Job. 31. per intemperantiam. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. Pl. 118. Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior. 1. Reg. 14. Jure sic suspirat voluptuarius, Dederunt in escam meam fel, & in siti potaverunt me aceto. Pl. 68. prædictum de Christo.

Frons, Oculi, Nasus, Aures.

P*Epigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hereditatem omnipotens de excelsis. Job. 31. Hoc maximè consideret Ecclesiasticus religiosus, ut nequidem per intuitum mulieris sensualis in eo oriatur affectus. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum. 2. Cor. 2. Oculi mei defecerunt in salutare tuum. Pl. 118. Salutare est Christus in Eucharistia, quem hic vides in enigmate, & coram quo desiderium ardens sæpè debes elicere, ut eum videas de facie ad faciem. 1. Cor. 13. Sepi aures tuas spinis. Eccli 28. Timoris Domini. Cave sensualitatem nasi, nam erit pro suavi odore fœtor. Is. 4. Nasus tuus sicut turris*